

NAVIGARE NECESSE EST

Index auctorum:

- V. Ciarrocchi & V. I. Rossi, "De claris exploratoribus"
- F. Deraedt & J. Verne, "Atlantis"
- G. Di Maria & J. Hotiél, "De medica inspectione viatorum sæculo XVIII exeunte in insula Melita"
- A. Gratius Avitus & T. Wilder, "Nascuntur poetæ..."
- N. Gross & A. von Humboldt, "Epistula Cubanensis"
- W. Jenniges & L.M.A. Couperus, "De morte Vestæ"
- C. Laes & A. Luciani, "Alia tempora, aliæ scholæ: epistula ad Quintilianum"
- D. Licoppe & A. Dumas, "De pisce xiphia gladio"
- M. Minkova & A. Konstantinov, "De cataracta Niagarensi"
- T. Pekkanen & litteræ Finnicæ, "Gaio feliciter!"
- J.M. Sánchez Martín & El viaje de Turquía, "De Turcarum nuptiis atque mulieribus colloquium"
- T. Tunberg & F. Trollope, "De moribus Americanorum domesticis"
- D. Viain & J.J. Rousseau, "In altis montibus"
- A. Weische & E. Renan, "De miraculo Græco"

Hoc opus, editum auspiciis Academiae Latinitati Fovendae Museique Domus Erasmianae, apud Melissam venundatur; pretium: 25 eur.

Gaius Licoppe, medicus radiologus, cum anno 1973 in nescio quo bibliopolio forte incideret in methodum Latine discendi, quae " Assimil " inscribitur, praescire non potuit vitam suam inde valde, valde mutatum iri. Prima sententia delectatus - " Latine loqueris ? " - librum emit, sic, nullo consilio, exspectatione nulla motus, ut facere solent ei, qui res raras animi causa colligunt. Opus legens priora studia libenter est recordatus, de Europa aliquo fundamentali vinculo confirmanda magis magisque cogitavit et in cauda, ut aiunt, in cauda venenum invenit : inscriptionem dico duorum periodicorum, " Vita Latina " et " Latinitas " inscriptorum, quorum continuo factus est subnotator.

Omnia postea celeriter acta sunt. Accepto Vocis Latinae exemplari, mox Societatis Latinae seminaria, quae Dr P. Caelstis Eichenseer inde ab anno 1973 quotannis moderabatur, participare cupivit. Cupivit quidem, nec vero statim ausus est. Itaque duas e filiabus suis, Dianam et Corinnam, illo tempore discipulas, speculatrices misit locoque suo adscripsit ad

experienda linguæ Latinæ seminaria, quæ postea ipse erat non solum strenue participaturus, sed etiam in Belgica (ab anno 1983) pro Societate Latina ordinaturus. Cuius societatis interea sodalis etiam factus erat.

Eodem anno 1983 Gaius pelliculam cinematographicam curat e Plauti Rudente conficiendam. Anno 1984 periodicum condit cui titulus est " Melissa ", nunc auspiciis Bruxellensis Musei Domus Erasmianæ Academiæque Latinitati Fovendæ publicatum. Anno 1986 sodalitem perenni Latinitati dicatam, Melissam nomine, Gaius eo consilio constituit, ut Latinitas omnibus modis foveatur. Idem anno 1987 Professorem Tuomonem Pekkanen, qui Kalevalam Finno-Scandinarum carmen epicum in Latinum recens vertit, Bruxellas invitat ad acroasin faciendam ; quæ in ædibus Communitatis Europææ habetur, multis præsentibus, una cum interpretatione et Francogallica et Nederlandica. Inde inicitur longa cooperatio cum Finnia, sola natione Europæa, quæ linguam Latinam re vera colat ut commune Europæorum fundamentum.

Sequuntur multa, quæ longum est hic enumerare. Gaius conventus participat, symposia instituit, linguam Latinam docet, libros edit, tandem rude donatus pæne obliviscitur se aliquando fuisse radiologum, Academiæ Latinitati Fovendæ creatur sodalis bene meritus, orbem terrarum percurrit Latinitatem provecturus, numquam defessus, animo numquam demisso. Interim circum circa paulatim et pedetemptim constituta est vera Latinistarum societas, cuius hic liber aliquatenus est effigies.

Cum enim ageretur de Gai septuagesimo quinto die natali celebrando, amicis undique oriundis visum est aliquid ei una offerre, librum, miscellanea Latina. Placuit autem indefatigabili viatori viatorias (sensu quidem lato) dicere narrationes, quas pro studio singuli elegerunt e lingua vernacula in Latinum vertendas. Titulus, " Navigare necesse est ", alludit ad illam perseverantiam, quam similiter Pompeius, auctore Plutarcho, his verbis olim professus est : " Navigare necesse est, vivere non est necesse " (Pompeius, 50). Superest ut Gai multa fausta et felicia, necnon innumeros annos Latinitati posthac dicandos, toto pectore exoptemus.

Bruxellis

die 27 m. Iunii a. 2006

Francisca Licoppe-Deraedt